

Joachim Crell Friedrich Johann Oldermann

## **Disputatio Logica De Praedicamentis In Genere**

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729614530>


Druck Freier  Zugang



RU phil 1644.

Joachim Coelius

Fluch. Johannes Oldermann



4

IN NOMINE JESU  
DISPUTATIO LOGICA. 60.  
DE  
PRÆDICAMEN-  
TIS IN GENERE.

*Quam*

Assistente Spiritus S. gratiâ

Consentiente Ampliissimâ Facultate Philoso-  
phicâ in Almâ Rosarum

*Publica ventilationi submittere*

M. JOACHIMUS CRELLIUS,  
Rugianus.

&


FRIEDERICUS JOHANNES

Olderman/ Slesvicensis,

Sereniss. Cimbrorum Ducis alumnus.

*In Auditorio Majori ad diem 29. Junij.*

*horis antemeridianis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIV.

7

IN NOMINE IESU

DISPUTATIO LOGICA

DE

PRÆDICAMENTIS  
IN GENERE.

Quam

Affertente Spiritus S. gratia

Conferente Amplissima Facultate Philo-  
sophicæ in Alma Rotarum

Publice vaticinatus Joannis

MJACHIMUS GRILLIUS

Rugianus.

&

FRIEDERICUS JOHANNES

Disertus Slesvicensis.

Secret. Cancell. Bucis abbas.

In Auditorio Majori ad diem 29. Junij


anno 1717.



ROSTOCKII

MDCCXVII

ANNO MDCCLXVII



## JUVA CHRISTE!

**R**adicamentorum doctrina quò utilior, eò tractatio illorum operosior est & difficilior, nam in cognoscendo prestat rerum Essentias per definitiones, & in predicando Materiam suppeditat per propositiones. Quid verò utilius quàm rerum Essentias præcisè nosse, easq; ab invicem accuratè distinguere, & distinguendo methodicè docere posse, ac proprietates omnium ac singulorum quasi in numerato habere? quid ad veritatem indagandam conducibilis, quàm omne id, quodcunque de re quapiam dici vel non dici poterit, animo præmetiri, indeq; omnia ordinatè persequi valere? At hæc ut obtineamus accuratè rerum dispositione seu Tabulū predicamentalibus, quas vocant, opus est. Illas autem, quod mirandum, totus inclamat mundus, usu earum longè maximo allecctus, sed quod deplorandum, nemo fere è tot retro seculū inventus est, qui Aristotelis industriam secutus, quod ille primus delineavit, in classes pro hujus ætatis ratione sibi digerendum sumeret. Nos qui oneri huius succedamus impares, nec aliis hæc quicquam promittere possumus, nec fortè etiam unius hæc sufficere opera aut vita, sed plurimum veritatem ex præconceptâ opinione non fastidientium labores conducti & eruditiores cura requirentur. Interim tamen ex occasione nostri qualiscunque exercitij Logici prima lineamenta ducere, & sublimioribus ingenij ad exquisitius scrutinium & castigatiores meditationes ansam subministrabimus. Faxit DEUS ter Opt. Max. ad nostram aliorumq; informationem vergant! Amen.

### Subsectio 2. de Predicamentis ipsis.

#### §. 1.

**Q**uod Predicamenta sint, easq; considerationū Logicæ, cui genius Aristoteles sapit, nemo fere hodie est qui dubitet, quia sunt quasi Species Entium Logicè digestæ, adeoq; Notiones secundæ & ad ratiocinandum directæ: docebunt te id, si nondum

A 2

asse.

assequaris, ea quæ sequentur. Qui verò ad aram Rami sacramen-  
 tum dixit, licet patenter & seorsim in Logicis tractanda neget, ta-  
 men lateenter & sub doctrinâ Topicâ proponenda admittet. At To-  
 picis infarcienda prohibet tum confusio eorum quæ in quid & ca-  
 su recto; ac in quali & casu obliquo Propositionem constituunt,  
 tum usus utriusque doctrinæ peculiaris ac distinctus, qui in hac  
 ad definiendum; in illâ ad probandum tendit. In Peripateticorum  
 Scholis hoc magis controversum est, *Ubi & Quomodo* in Logicis  
 tractanda. Alij enim in Vestibulo ut *Objectum præcognoscendum*  
 proponunt: alij verò inter *Media Essentialia Logica* reponunt.  
 Non autem velut *Objectum* esse præmittendum, quod plerique pro-  
 pugnant, ostendit Specialis ex Objecto deducta dispositio, fa-  
 cta per efformationem Notionum secundarum, Notionibus pri-  
 mis applicatarum, quæ operationem verè Logicam jam consti-  
 tuit. At contra naturam Practicæ disciplinæ est, Objectum præ-  
 cognoscendum tam late deducere ac specialiter distribuere, ut cum  
 iis, quæ disciplinam ipsam Essentialiter attinent, confundatur,  
 quare ad *Media Logica Essentialia* referenda erunt. Hæc autem,  
 cum juxta diversas *mentis operationes* dispescantur, ad primam spe-  
 ctabunt, quia exhibent Notiones secundas pro Terminis simpli-  
 cibus ordinatè disponendis efformatas, ad futuram definitionem  
 & prædicationem concinnandam. Tractari autem possunt tum  
*in genere, tum in specie.*

*Titulus 1. de Prædicamentis in genere.*

§. 2. Ad *Prædicamenta in genere* notanda est duplex eorum con-  
 sideratio, *Materialis & Formalis*. Circa *Formalem* autem consi-  
 deranda sunt 4. 1. *Nomen*. 2. *Definitio*. 3. *Cause*. 4. *Numerus*.

§. 3. Membr. 1. *de Nomine*. Unde dicatur vox *Prædicamenti*  
 ex Grammaticâ liquet. Græcis *κατηγορίας* nomen habet. Ger-  
 manicè et in *Wortregister* vocari posset. Sumitur autem 1. *pro sum-  
 mo* quodam *genere*. Sic Substantiam Quantitatem &c: Prædica-  
 mentum dicimus. 2. *pro ordine & dispositione* omnium sub uno  
 summo genere contentorum, quæ nomine Arborum Prædicamen-  
 talium aliàs insignimus. Et sic iterum sumi potest vel *late* pro  
 omni eo, quod Materiam ad prædicandum suppeditare, & locum  
 prædicati sustinere potest. Sic ea etiam includit, quæ reductivè  
 aliâ

aliàs ad prædicamenta referri debent; vel *strictè* pro iis quæ directè huc revocari solent, & sic est hujus loci. Quid autem differat prædicamentum à prædicabilibus, supra in I. Disputatione vidimus.

§ 4. Membr. 2. de *Definitione*. Prædicamentum est *dispositio Generum & Specierum sub uno Genere generalissimo*, seu potius *Notio secunda ostendens dispositionem illorum*.

§ 5. In hæc Definitione duo occurrunt 1. *Formale* seu *Genus*. 2. *Materiale* seu *Differentia*. *Genus* est *dispositio*, quæ infert ordinatam collocationem. Hæc autem fit juxta *Prædicabilia* per certos gradus, quorum primus in ascensu numeratur ab Individuis hæc sequitur *Species infima*, quæ excipiunt *Species & Genera subalterna* usquè ad summum *Genus*, quod *Prædicamentum* denominat. A quo iterum in descensu transitur ad Individua. *Differentia* sumitur 1. *A subjecto*, quod est *summum Genus* ipsum, quæliavulgò constituuntur 10. Prædicamentorum nomine insignia. 2. *A contentis inferioribus*, & iis quæ sub illo genere summo ordinatè sunt disposita, ut sunt reliqua *Genera & Species subordinate* usquè ad Individua, quæ sunt Prædicamentorum bases. Hæc verò remotè præsupponunt res, quibus dum nomina imponuntur ex Prædicabilibus, & ordo dispositionis à summo genere per intermedia *Genera & Species*, usquè ad Individua secundum sub & supra

κατὰ βᾶδ' & κατὰ πλάτ' accedit, fit integrum prædicamentum. § 6. Membr. 3. de *Causis*. *Causa* breviter ita habent. *Efficiens* inventor est *Archytas Tarentinus* Philosophus Pythagoreus, qui, quod Pythagoricis denarius sacer erat, 10. numero constituisse dicitur. *Materia* sunt *res omnes* mediantibus prædicabilibus in Quid per certas classes disponendæ. Quæ verò sint illæ res, & quam latè se extendant, postea explicabitur. *Forma* est ipsa *dispositio ordinata* juxta gradus profunditatis & latitudinis, quemadmodum in Schematismis Prædicamentorum videre est. *Finis* ut natura & diversitas rerum ex ordinatâ illâ dispositione faciliùs cognosci & distingui possit.

§ 7. Membr. 4. de *Numero*. Prædicamenta communiter 10. constituuntur. Sunt verò qui *pauciora*, alij qui *plura* numerant. Qui *pauciora*; vel *unum* ponunt ut *Ens*: Vel *duo* ut *Substantiam & Accidens*: vel *tria* ut *Substantiam Accidens & Modum*; Vel 6. re-



jectis. 4. ultimis prædicamentis, aut sub *Relatione* inclusis: Vel  
9. *Actione & Passione*, quia non realiter differunt, in unum compa-  
ctis. Qui *plura* faciunt, addunt *undecimum* prædicamentum *Si-  
gni*, & *Notiones secundarum*: imò dubitant, cur non *duodecimo* de aliis  
*Modis*, quæq; media inter Substantiam & Accidens esse putantur,  
prædicamenta quoque constitui debeant, cum non minùs ad præ-  
dicandum disponi possint, quàm quæ ponuntur in prædicamentis  
*Quando, Ubi, Situs, Habitus.*

§ 8. Hæc autem diversitas inde orta est, quod in prædicamen-  
tis numerandis naturam non respexerint, & ex eâ numerum hau-  
rire laborarint, nam si vel oculo fugitivo illam iustrassent, faciliè ad-  
vertissent, *Prædicamenta 1 non esse plura quàm 10.* ut addantur *Præ-  
dicamenta Signi, Notionum secundarum, Modorum &c.*: quia debent  
disponere Res, non Modos aut signa, nisi fortè simul res fuerint.  
Nec *2. unum, duo vel tria* sunt prædicamenta, quia tot sunt, quot  
sunt vera & summa genera. Atqui *Ens & Accidens* ad Inferiora  
non dum sunt vera genera, quia non habent correspondentes dif-  
ferentias, per quas ad inferiora tanquam Species contrahantur,  
ideoq; *primò diversa* à Metaphysicis dicuntur. *Substantia* autem  
& *Accidentium Inferiora* primùm per oppositas differentias Speci-  
es constituunt, unde ex iis vera genera summa dinumeranda sunt.

§ 9. Ex his potiores Logici adhuc *denarium numerum* propu-  
gnant, & *diversimodè* deducunt. Alij à *diversis questionibus* à Sub-  
stantiâ dependentibus, ut *Quid sit, Quanta & Qualu, Quòd refera-  
tur, Quid agat & patiatur, Quando & Ubi sit, Quomodo alicubi sit,  
& Quibus investita.* Alij à *Modis Essendi & Inessendi diversis.* Alij à  
*Modo afficendi Substantiam.* Alij à *Modo respiciendi Subjecta seu  
prædicandi*, de quibus prolixè vide Dn. *Wegerum* in 1. mentis ope-  
ratione pag. 124. & seqq.

§ 10. Nos declarationis causâ *unicum tantùm Modum* exhi-  
bebimus, qui tamen plerosque includit alios, aut si quid boni ha-  
bent adsumit. *Res* primò est vel *Substantia* vel *Accidens*, velut ex  
superioribus notum est: ex illâ *Prædicamentum Substantie* oritur.  
*Accidens* verò est vel *Prædicamentum* quod intrinsecè, & *Secundarium*  
quod extrinsecè rem denominat. *Prædicamentum* iterum est vel *Abso-  
lutum*, quod citra respectum intelligi potest, vel *Relatum* quod per respe-

respectum exurgit. *Absolutum* vel consequitur *Materiam*, unde prodit *Quantitas*, de qua agit *pradicamentum Quantitativum*. Vel *Formam*, unde *Qualitas*, de qua agit *pradicamentum Qualitativum*. Ex *Relativis* exurgit *pradicamentum Relativum*. *Secundarium* denominat Substantiam extrinsecè mediantibus aliis *pradicamentis*. Sic ex *Substantia complicatione cum Qualitate*, quum scilicet Substantia per qualitates vires suas exserit ut *Principium*, oritur *Actio*, unde *pradicamentum Actionis*. Quando verò recipit ut *Subjectum susceptivum*, oritur *Passio*, hinc est *pradicamentum Passionis*. Ex *Substantia complicata cum Quantitate* pendet *ratione Temporis* Quando: *ratione Loci Ubi*. Ex *Substantia cum Relatione* *ratione partium situationis* *Situs*: & *ratione Indumentorum* *Habitus* pendet: inde 4. *ultima pradicamenta* deducuntur. Et hinc 10. numerantur, quæ memoriæ causâ his includuntur versibus:

8.      2.      5.      3.      7.  
*In Campo Magno Pugnabat Fortiter Olim*

4.      1.      9.      6.      10.  
*Filius Arnolphi Seans & Calefactus in armis.*

1.      2.      4.      3.      5.      6.  
 Item: *Arbor Sex Servos Fervore Refrigerat Ustos*

8.      7.      9.      10.  
*Ruri Cras Stabo nec Tunicatus ero.*

§. 11. Hæc deinde juxta *Disciplinas* nonnulli ita distribuunt.  
 ut dicatur *Pradicamentum*.

<i>Substantia</i>	<i>Physicum &amp; Pneumaticum</i>	<i>Passionis</i>	<i>Medicum.</i>
<i>Quantitativum</i>	<i>Mathematicum</i>	<i>Quando</i>	<i>Chronologicum.</i>
<i>Qualitativum</i>	<i>Ethicum Physicum Mechanicum</i>	<i>Ubi</i>	<i>Geographicum.</i>
<i>Relativum</i>	<i>Politicum Oeconomicum</i>	<i>Situs</i>	<i>Physiognomicum.</i>
<i>Actionis</i>	<i>Theologicum Juridicum</i>	<i>Habitus</i>	<i>Alamodicum.</i>

hodie dici posset.

Antequam verò de *Pradicamentorum numero* quicquam certi statuere possimus, *Materialem eorum considerationem* quoque excutere debemus.

§. 12. In *Materiali Pradicamentorum consideratione* autem notanda sunt 3. 1. *Quæ non sint in Pradicamentis*. 2. *Quæ sint in iis*, & 3. *Quot modis Entia in iis locari debeant.*

§. 13(1)

S. 13. (I) *Quæ non sunt in Prædicamentis*, 2. verbis memoria-  
libus includi solent, quos plenioris intelligentiæ causâ paullo am-  
pliatos dabimus, ut enucleatius omnia dispiciantur:

*Vox & Complexum, Consignificans, Polysemum,  
Vox Logica, Fictum, Privatio, junge Per Accid.  
Pars, Gradus atque Modus, Transcendens, adde Deumq̃.*

S. 14. Excluduntur ergo à Prædicamentis 1. *Voces* sc: Materia-  
liter sumptæ, ut & Homo. 2. *Complexa* sc: secundum rem, de qui-  
bus suprâ sub Antepredicamentis egimus. 3. *Syncategoremata* ut  
Omnis, Solus, Doctè. 4. *Equivoca* antequam distinguantur, de  
quibus itidem suprâ vide disp. 2. 5. *Notiones secunda*, ut Genus, No-  
men, Tropus. 6. *Entia rationis* ut Cerberus, Chymera. 7. *Nega-  
tiones* ut non homo, Cæcitas. 8. *Entia per accidens*, qualia sunt  
*Concreta* ut Justus, fortis: *Aggregata inordinata* ut acervus lapidum  
& frumenti: *Artificialia* ut Domus, Mensa. 9. *Incomplexa partes*  
ut Materia, Forma, Manus, Pes. 10. *Gradus accidentales* ut 6. vel 17.  
gradus caloris. 11. *Modi* ut Affectio, Unio. 12. *Transcendentia* ut  
Ens, Principium. & 13. *DEUS*, qui ob summam perfectionem et-  
iam carceribus prædicamentibus subjici non debet.

S. 15. (II) *Quæ sunt in Prædicamentis*. Hæc ut dignoscantur  
apponi solent certæ notæ, quæ memoriæ causâ iterum includuntur  
his versiculis

*Vox una & simplex, rebus continua locandi,  
Entia; & hæc Per se, Finita, Realia, Totalia.*

Ut ergo aliquid sit in prædicamento, requiritur ut sit præprimis quo-  
ad formale 1. *Vox una* i. e. unius naturæ & Essentiæ, quo primò  
excluduntur Æquivoca. 2. sit *incomplexa & simplex*, quo exclu-  
duntur Complexa. 3. *Accommodata ad modum significandi*, scilicet ut  
In Substantiis Concreta; & in Accidentibus Abstracta assumantur:  
Excluduntur hic Abstracta Substantialia, ut Homineitas, Animalita-  
tas: & Concreta Accidentalia, ut doctus, sapiens, quæ non sunt in  
prædicamentis. 4. Sit *Ens*, quo Voces, Syncategoremata, Modi  
Principia & Affectiones simul remouentur. 5. *Ens reale* Exclu-  
duntur hic Entia rationis & Notiones secundæ, 6. *Entia per se*,  
quo excluduntur Entia per Accidens, concreta sc. Accidentalia,  
Aggre-

Aggregata inordinata (nam ordinata quæ sunt, ad naturam Entis quam proximè accedunt, ita ut in prædicamentis adhuc collocari mercantur) & Artificialia. 7. *Ens Totum seu completum*. Excluduntur ideo Partes tum Essentiales, tum integrales, ac gradus Accidentales. 8. *Finitum*, quo excluduntur partim Termini negantes; partim DEUS, quibus accedit 9. Ut sit *per verum genus & differentiam determinabile*, quo excluduntur transcendentia, omnesq; conceptus tum supra tum infra prædicamentales, in quibus vera genera & differentia non habentur.

§ 16. (III) *Quot modis Entia in Prædicamentis esse dicuntur, Tres Modi communiter statuuntur, quo res sint in prædicamentis. 1. Directè ut Genera & Species. 2. Indirectè ut Differentia. 3. Reductivè, quæ per analogiam eò revocantur. Nos contenti erimus duobus modis, dicentes Res in prædicamentis esse vel Directè, idq; tum κατὰ τὸ βᾶθρῶν & secundum sub & suprâ, quo modo Species & Genera in ijs reponuntur, tum κατὰ πλάτος & collateraliter, ut differentia. Vel Indirectè & Reductivè: Et sic pleraque, quæ ante exclusâ sunt, huc iterum revocari solent, verum per analogiam diversam. nam magis convenienter huc reducuntur, quæ Entitatem aliquam veram habent, ut sunt præter Ens eminens DEUM, Entia per Accidens & incompleta, quæ si ordinata sint, ut Habitus; vel usum aliquem notabilem habeant, ut caro, verè ad prædicamenta pertinent, licet Ens cum excessu vel defectu dicant. Minus convenienter verò, & non nisi æquivocè eò referuntur, quæ veram Entitatem non ponunt, ut Entia rationis & Negationes &c.*

§ 17. *Reducuntur autem ad ea, ex quibus vel constant, at Complexa & Entia per Accidens ad sua simplicia, vel ad ea quæ ex iis constare debent, ut Partes ad Tota. Vel ad quæ similitudinem, proportionem, seu habitudinem aliquam habent, ut Voces ad significata, Ficta ad vera, Negationes ad Opposita. Sic Gradus & Modi ad Qualitates, Notiones secundæ ad Relationes.*

§ 18. *Ex his jam dictis de Numero Prædicamentorum certi quid ut colligamus restat. Hoc autem, ut ex ipsis Fundamentis arectamus, sequentia adhuc præmittenda esse censemus. 1. Quomodo hæc doctrina Objectum Logica respiciat? 2. Quomodo ad reliquas Disciplinas se habeat, quarum Logica Instrumentum est, quid ex illis*

B

præ-

præsupponat, quid addat? 3. Quænam sint illa, ex quibus velut fundamentis Entia prædicamentalia sint dijudicanda? scil. *Entitas*, *Cognoscibilitas*, *Prædicabilitas*. Hæc eveniunt, si applicentur juxta definitiones Prædicamentorum in propria significatione Spectatorum, ostendent *Materiam rerum prædicamentaliùm*, quæ sub dispositionem Generum & Specierum cadere queat; & considerationi nostræ certos limites figent, ut certi simus, quousque se extendant, quid includant vel excludant Prædicamenta. Materiam autem cognitâ, ex ejus diversitate *Numerum* consequenter haurire possumus.

§. 19. (α) *Objectum Logica totale est Res, quæ Notionibus secundis ad veritatem facilitandam dirigi potest secundum tres mentis operationes.* Hanc autem non exhaurit doctrina prædicamentalis, quippe ut *Terminus simplex* ad primam mentis operationem tantum pertinet: at extra controversiam est, quod multa Syllogismum ingredi, & Propositionem constituere possint, quæ tamen ad *Prædicamenta* referri nequeant, unde primò elucescit, quod *Prædicamenta* non excedant *Objectum Logica*, aut ea disponant, quæ ad id propriè non referuntur, imò nec omnia quidem, quæ ad *Objectum* spectant, huc revocanda esse ostenditur.

§. 20. (β) *Disciplinæ reliquæ necessariò respicit ut tota Logica in genere, ita hæc doctrina in specie, quia res in illis pertractatas sub dispositione Generum & Specierum in certas classes digerit.* Præsupponit ergo tum ex *Metaphysicâ Speciali* omnes *Entis Species*, juxta rationem Essendi dispositas, tum ex *reliquâ Disciplinâ & facultatibus* ea, quæ *Notiones secundæ Generum & Specierum non respuunt* disponenda. Et hinc est, quod in *Logicis Relationes & Denominationes* etiam accedant reliquis, quia ad modum verorum Entium cognosci & sic disponi possunt. His verò ex officio suo Instrumentario ad obtinendum Finem præprimis addit; seu abdit, potius *Logica sub novum considerandi Modum*, quo certis *Notionibus secundis* investit.

§. 21. (γ) In *Rebus prædicamentaliibus* tria hæc æstimanda sunt. 1. *Entitas*, quæ tanquam *Materiale* prærequiritur. 2. *Cognoscibilitas*, quæ ex *dispositione* pendet, dum semper inferiora per abstractionem

nem

nem in conceptus colliguntur. 3. *Prædicabilitas*, quæ ex *Fine*, velut sola vox arguit, accedit. Ex his enim diversis non tam *diversis de Prædicamentorum* iudicatur, sed etiam ex deductione eorum *latitudo Materia Prædicamentalis* pendet, quare per certas positiones illud persequemur.

§ 22. 1. *Materia Prædicamentalis non extendit se ad omne Prædicabile*, ut includat tanquam Materiam prædicationis *Ens & non Ens, Synonyma & Paronyma* &c. Videtur quidem id suadere vox *Prædicamenti*, quæ, quia cum Prædicato ab eodem themate descendit, æqualis latitudinis existimari, adeoq; quod prædicatū propositionis fieri aptum esset, ex Prædicamentorum doctrinâ quoque depromptum dici posset, 2. quia prædicamenta vocantur *classes Prædicabilium*, quò non tantum pertinent *Synonyma*, quæ aliàs tantum in iis disponi solent, sed etiam *Paronyma*, unde & hæc in classes digeri debebant. Sed asserti veritatem illustrat *evolutio Hymonymia*. Sumi enim potest vox *Prædicabilium*, modò *latè*, pro iis, quæ quâcunque ratione eò revocari, & Materiam prædicationis constitutere possunt: modò *strictè* pro iis, quæ verè *Genera* sunt & *Species, Propria & Accidentia*. *Priorem* acceptionem intendit assertum; non *posteriolem*. Negat ergo Prædicamentum se extendere ad laxam vocis acceptionem, & in strictâ subsistere jubet. Probat id, quia prædicamenta ut supra ostensum, non debent excedere Objectum *Logicæ*, quod omnino fieret, si involverentur illa, quæ quâvis ratione ad Prædicabile revocari possent. 2. quia Prædicamenta ea tantum in ordinem redigere debent, quæ in reliquis *Disciplinis* per se & directè tractantur. at hæc nusquam non *Ens & similia* proponunt, nam hæc non tam ex intentione *Naturæ*, quam *Disciplinæ* sequuntur, sed ex vanâ & otiosâ *Intellectus speculatione* oriuntur. Nec quoque obstant *rationes in contrarium allatae*, nam I. ex consideratione diversæ acceptionis vocem *Prædicati & Prædicamenti*, quæ eidem fere æquivalenti cū voce *Prædicabilium* subjacent, statim concidit. Ad II. dicimus Prædicamenta non esse *classes Prædicabilium quæ talium*, sed *Rerum*, quæ per diversos abstractionis actus collectæ; mediantibus Prædicabilibus distinguuntur, & in ordinem rediguntur. Cùm ergo *Res* tanquam *materiam*, non

non verò modum prædicandi, quod faciant *Synonyma & Paronyma*, spectent, patet quod non ad rationem *Synonymorum & Paronymorum* accommodari, aut inde denominari debeant. Quod verò ea, quæ *Synonyma* sunt, in iis locentur, planè per accidens fit ex aliâ ratione, quatenus res sunt, quæ per abstractionem collectæ tanquam *Genera & Species* de invicem prædicantur. Sic quoque *Paronyma*, quatenus res sunt, & *Synonymorum* naturam induunt, i. e. ut *Genera & Species* se respiciunt, satis commodè in *Prædicamentis* unâ disponi possunt, imò debent, quemadmodum & in *prædicamentis Accidentium* videre est, quæ respectu *Substantiarum* nil nisi mera *Paronyma* sunt. At verò quatenus ut *Paronyma*, & ratione modi prædicandi attenduntur, nil cum *Prædicamentis* commune habent.

§. 23. *Materia Prædicamentalis non extendit se ad omne Cognoscibile*, ut involvat *Res & Modos*, omniaq; quæ definiiri possunt, & *notiones secundas non respuunt*. Videtur quidem id suadere tum vox *Cognoscibilis*, quia *Prædicamenta Tabulæ cognoscibilium* denominantur, tum *prædicamentorum scopus primarius*, ut definitiones rerum inde hauriantur, ubi ergo illæ haberi possint, ibi materiam prædicamentalem arguere videtur. Sed nihilo minus asserto nostro sua constat veritas, per easdem fere rationes, quas §. præced. ursumus. nam *Cognoscibile* itidem sumitur duplici modo. 1. pro eo, quod ex quâvis occasione conceptum aliquem exhibet. 2. pro eo, quod per verum *Genus & differentiam* distinctè illum menti objicit. *Priori modo* in asserto nostro acceptum rectè negatur; at *posteriori* *Prædicamenta Tabulæ Cognoscibilium*, scilicet rebus materialiter præsuppositis, vocantur, & *hæc rationi primæ* satisfiit. Ad *secundam*, quæ per *Fallaciam Consequentis* peccat, dicimus, de *Definitionibus*, quæ fiunt per verum *Genus & Differentiam*, concedi posse, quæ quia in omnibus non dantur, nil contra nos evincit ratio opposita.

§. 14. *Materia verò Prædicamentalis extendit se 1. ad omne Ens verum*, quia id per classes disponi debet. 2. *ad omne Cognoscibile & prædicabile per verum Genus & Differentiam*, quia *Generum & Specierum dispositionem* promittunt *Prædicamenta*. Quæ autem

tem

tem sint vera Genera & Species, scil. illa, quæ ex rerum proprii genuinis, & non ex denominationibus aliis, ab usu vel aliis circumstantiis desumptis colliguntur; ut & in quibus obtineant, in doctrinâ definitionis, cum DEO, plenius explicabitur.

§. 25. Cum ergo ex his constet non omne Cognoscibile & Prædicabile esse revocandum ad Prædicamenta, consequitur dari quoddâ, quod sit Prædicamentale, & aliud quod extrapredicamentale. Illud quidem quod per verum Genus & Differentiam tale: Hoc contra. Extrapredicamentale autem fit vel ob summam perfectionem, vel ob nimiam imperfectionem. Illud supra; hoc infra prædicamenta locandum erit, unde triplices emergunt Cognoscibilium conceptus 1. Prædicamentales. 2. Suprapredicamentales & 3. Infrapredicamentales.

§. 26. Conceptus Suprapredicamentales ortum habent ex perfectione, quæ verum Genus & Differentiam excludit, eaq; duplex esse potest, nam vel fundatur in Entis nobilitate & excellentiâ, quod pertinent DEUS & Mystéria divina: vel ratione cognoscendi in abstractionis latitudine & transcendentia, quod pertinent Termini Metaphysici & Gnostologici &c. Utrobique Conceptus latior & adequatus quidem locum habet, sed Genus & Differentia strictè sic dicta in iis haberi non possunt, unde à prædicamentibus discerni, & sub duabus distinctis classibus proponi possunt.

§. 27. Conceptus Infrapredicamentales contrà ex Imperfectione oriuntur, & vel dependent ex ratione significandi (qui sunt imperfectissimi) quum vox non rem, sed vel 1. seipsam significat, vel 2. rei aliquid consignificat, ut in Syncategorematibus: vel 3. nil certi determinat, ut in Equivocis: vel plura simul involvit, ut in complexis. Vel ex Ratione Essendi, sive ob Entitatum negationem in Negativis, Fictis, & Notionibus secundis: sive ob Entitatis Positionem, vel cum defectu ut in incompletis; vel cum excessu ut in aggregatis: quæ posteriora tamen, quia magis accedunt ad naturam verorum Entium, reductivè ad prædicamentales conceptus revocari possunt, de quo post dicemus.

§. 18. Nos autem Conceptibus extrapredicamentibus hæc vice dimissis de Prædicamentibus tantum erimus solliciti, eaq; ex supra recensitis adhuc eruemus.



§. 29. Ad *Conceptus Pradicamentales* ergo reducendæ restant  
 1. *Vera Entis Species*, quæ in Logicis sub alio respectu *Summa genera*  
 dicuntur, quando inferiora eorum *per vera Genera & Differentias*  
 determinari possunt. Hæ autem *quæ* sint, & quot sint *Meta-*  
*physica Specialis* docet in contractione Entis ad Substantiam &  
 Accidens, ubi *Substantia*, quia immediatè ad Species per Genus &  
 Differentiam contrahibilis, ut Corpus & Spiritum descendit, *prim-*  
*um Genus summum* constituere potest, quod deinde per disposi-  
 tionem subordinatorum persequendum. *Accidens* verò ipsum,  
 quia ad Inferiora sua per verum Genus & Differentiam nondum  
 contrahitur, sed tantum *per Modos*, ab alterâ parte Summum  
 Genus dici nequit, quare per modos ejustam diu descendendum,  
 donec se offerant ea, quæ per Genus & Differentiam verè deter-  
 minari possunt. Hoc verò fit, si *Accidens* primùm distribuatur  
 juxta *Inherentiam immanentem* seu *Afficientiam inhesivam*, &  
*Transcurrentem* seu *dependentiam effectivam*. *Afficientia* vero oritur  
 vel *ex Materia*, unde pendet *Quantitas*; vel *ex Forma* unde *Quali-*  
*tas* prodit. *Dependentia* verò à toto supposito producit *Actionem*.  
 Hæc autem *sub Accidente* primùm *Summa genera* fiunt, quia ho-  
 rum Inferiora non amplius ab *Oppositiis* aut *Modis* determinari ne-  
 cessum habent, sed *accidentia propria Materia* vel *Formam con-*  
*sequentia* habere incipiunt, quibus ab invicem discerni, & conce-  
 ptum constituere possunt. *Plures* in *Metaphysicâ* non sunt *Entis*  
*Species*, nec vel fingi possunt, nisi quis *nudas Entium denominationes*  
 pro veris *Species* literato orbi obtrudere velit, nam *Passio* ra-  
 tione *Entitatis* coincidit cum *Actione*, quia ex concessio omnium  
 Motum realiter eundem dicit, & tantum pro diverso respectu, quo  
 in passio receptus est, *Passionis* nomine distincto indigitatur. *Reli-*  
*qua* verò, quæ addi solent, nil nisi *denominationes sunt à rerum cir-*  
*cumstantiis petite*. Ergo non cum ipsis *Entis Species* confun-  
 dendæ.

§ 30. Accedunt hisce 2. *Denominationes*, quarum natura ha-  
 tænus quidem fere incognita mansit, utilissimum tamen & stu-  
 diosæ juventuti maximè proficuum foret, si quàm latissime de-  
 duceretur. Nos optaremus quidem *Materiam* hanc ab aliis tra-  
 ctandam suscipi, quod quia non factum, & *Methodi nostræ ratio*  
 aliqua

aliqualem tamen ejus cognitionem requirit, non possumus, quin paucis illam attingamus, donec ab Ingenio feliciori latius evolatur. Intelligimus autem per Denominaciones in genere Terminos, qui aliunde rei nomina imponunt, quàm ab essentiâ. *Hos autem dari infinita evincunt exempla, quæ non nisi ad denominationum classem revocari possunt.* Sic quum DEUS vocatur Creator, nova Entitas non accedit, quia aliàs DEUS ex Ente & Ente compositus esset, Ergo nova tantùm erit denominatio. *Ad Prædicamenta verò ex parte reducendas suadent requisita Termini Prædicamentali quæ illarum nonnullis etiam competunt, quia scilicet legitimum Genus & Differentiam admittunt, & sic in quid Synonymos ab invicem prædicari possunt.* Et licet vera Entia non sint, tamen quia in eorum naturam Entium imitantur, ex quo ipsa Entia ad prædicamenta referuntur, nulla causa superest, cur à prædicamenti removeri debeant.

§. 31. Quoniam verò *maxima Denominationum est varietas*, ut quas hinc intellectas velimus constet, paucis illam quoque excutiemus. Sunt ergo 1. vel *Improprie*. vel *Proprie*. *Improprie* vel ita dicuntur *ob Tropum*, ut quum Magistratus denominantur *Dij*; vel *ex laxâ vocis acceptione*, ut quum Substantia denominatur *Quanta*, *Qualis* &c. *Proprie* 2. sunt vel *Vocis*. Sic vox Angeli notat Substantiam, sed eam denominat ab officio: vel *Rerum*, quæ 3. iterum sunt vel *Eminentium* vel *Prædicamentaliū*. Denominaciones *Eminentium* occurrunt in *Modis Afficientibus*, *Contrahentibus* & aliis. Sic *Unitas*, *Veritas* dicitur denominare *Ens Inhærentia Accidens*. *Prædicamentaliū* contra est in *rebus prædicamentaliibus*. Et hæc 4. spectantur vel in *Terminis Adjectivis* & *Connotativis*, vel *Substantivis* & *Absolutis*, illuc pertinent *Adjectiva Grammatica*, ut *Doctus*, *Fertis*, quæ adhuc remouentur à prædicamenti & sunt pleræque *Denominaciones intrinsecæ*: Huc verò *Substantiva*, ut *Rex*, *Pater* &c. quæ in Prædicamenti retinentur. *Denominaciones Substantiva* 5. sunt vel *Absoluta* vel *Relata*. *Absoluta* sunt, quæ ab adherente quodam respectu transcendentali nomen capiunt, ut *Figura*. *Relata* sunt, quarum esse totum consistit in respectu ad Terminum coexistentem, à quo denominatio sumitur, ut *Pater à Filio*. Et hæc sola sunt, quæ hinc intelliguntur, nam reliquæ:

liquæ vel superant Prædicamenta, vel Complexa sunt, vel aliàs per denominationem naturam absolutam exprimunt. Suntq; iterum vel *Generales*; quò pertinent *Relationes in Specie*, quæ res in modum Entium à termino coexistente denominant. Hæ non tantùm ob varietatem suam quàm quod in modum Entium cognoscuntur, & prædicantur per verum Genus & Differentiam, ac ordinatam dispositionem admittunt, *summum Genus* quoddam constituere possunt. Vel *Speciales*, quæ à *circumstantiâ Temporis, Loci, Partium, aut aliis*, illam determinant, ex quibus 4. *ultima prædicamenta* deduci solent.

§. 32. Huc 3. quoque reduci possunt, quæ *Entitatem aliquã habent cù perfectione vel imperfectione* conjunctam. *Perfectio* quidem & *Imperfectio* adhærens facit, ut *directè* eò referri non debeant, sed quia Intellectus noster in cognoscendo id agit, ut quantum fieri potest, in modum veri Entis per Genus & Differentiam ordinatè cognoscat, huc *Reductio* apponi merentur. Ex quo hoc s. observandum venit, quod in his cum reliquis, quæ directè ad prædicamenta spectant, connectendis, *Differentia dividens* non ad eò rigidè examinari debeant, nam ut res ipsæ, ita quoque harum differentiarum difficultatem quandam important. Sic *ob perfectionem* huc reduci potest DEUS. *Ob Intersectionem Aggregationis & Incompletæ*, nam *Imperfectio* oritur vel ex *excessu* in *aggregatione verum aut actuum*, ut in Domo Habitu. Vel ex *defectu* in *segregatione partium aut graduum*, ut in Brachio, Impotentis naturalibus &c.

§. 33. Notandum autem, quod *Incompletæ partes*, si *usum aliquem* in vitâ communi habeant, & *Aggregata*, si *ordinate* fuerint, inter *vera Entia prædicamentalia* computentur, licet non unà disponi soleant. Sic *Baculus defractus* quidem ad Privationes exterrinari solet, *scipio* verò, quia usum habet, itemq; *Rosa*, & alia in Entium numero habentur. Sic *Habitus* quoque, licet aggregatus, inter *Species Qualitatis* unà refertur. Hæc autem, quia vel non unà cum cæteris disponuntur, vel, si id fiat, ad sua simplicia aut tota referuntur, nova summa genera non constituunt, sed ad superiora revocari debent.

§. 34 Hæc

§. 34. Hæc enucleata *Materiam prædicamentalem* ex fundamentis suis assertam sufficienter puto, determinant, ex quorum *diversitate* jam *Numerus Prædicamentorum* facile erui & statuminari poterit. *Fundamentum numeri* Catholicum est: *Quot sunt summa genera, & dispositionum seu classium diversarum capita, tot sunt prædicamenta.* An verò illa *realiter* ab invicem differant, seu verò sufficiat *formaliter* esse distincta, controversum est. Nos dicimus in *is, quæ sunt vera Entia* vel *Entiæ Species*, dubium esse non posse, quia ut *Ens & Ens* realiter ab invicem distinguuntur: ita hæc quoque ab invicem *realiter distincta* esse oportet, unde consequenter *prædicamentum Passionis* seorsim proponendum non esse evincitur. In *Denominationibus* verò aliud obtinere potest. Ut enim *Relationem* à suo fundamento formaliter differre sufficit. Ut enim *Relationem* à suo fundamento admitti necesse est.

his non nisi *formale discrimen* admitti necesse est. §. 35. Ex Superioribus autem jam liquet, quod 4. sint *diverse Entiæ Species*, quæ *summa genera* constituere possunt. Ergo ex his *primis* 4. *prædicamenta* constituenda erunt. Ab *is* verò, quæ *reduci* huc revocantur, vera summa genera oriri non posse ostendimus, unde per ea numerus *Prædicamentorum* non augebitur. At *Denominationes generales* non minus ordinatam dispositionem *Generum & Specierum*, quàm *Entiæ Species* admittere probatum est, unde etiam *Genus aliquod summum* ex his assumi poterit.

§. 36. Sunt qui ex *Denominationibus Specialibus* juxta *Circumstantias temporis, loci &c.* adhuc alia eliciunt *Prædicamenta*, sed si attendendum quod res est, *is* non admodum opus est, nam si ex *respectu ad Circumstantias & Modos* prædicamenta essent constituenda, tum multò plura fortè adsumenda essent. Præterea non nisi *Concreta accidentalia & Syncategoremata* fere in *is* proponuntur, quæ aliàs à prædicamentis planè removeri debent. Accedit quod nec *requisitum Prædicamenti Essentiale*, scil. *dispositionem Generum & Specierum* facile admittant, unde supervacuum erit reliquis ea annumerare prædicamentis. Quod si tamen aliquis ob *venerandam Antiquitatem* depugnabit *dicarium retinendum*, huic morosè non oblectabimur, sed morem in subsequenti *Prædicamentorum evolutione Speciali* geremus. Interim nobis pollicentes, candidum *Naturæ æstimatorem* ex deductione hæc præ-

C

cogni-

cognitâ, ob veritatem 5. Sufficere posse, nisi obftet antiquitas, etiam concessurum.

U S U S.

Hic se offert I. In Definitionibus, quæ totæ ab hâc doctrinâ re-  
tè dispositâ pendent, cum enim Species semper definiantur per gene-  
ra sua proxima & differentias collaterales, quæ in Prædicamentis or-  
dine disponuntur, hinc facîle inde de sumi possunt, si in nativâ suâ  
sede inquirantur primò Species, & deinde excerpatur Genus proximè  
suprà positum, cum differentiâ ad latius correspondente, quæ integram  
exhibebunt definitionem. Quo sine etiam Tabulæ prædicamentales  
accuratè dissoni debent.

II. In Divisionibus quæ à Logico maximè attenduntur, scil. Ge-  
nerum in Species per collaterales differentias. Hæ eodem modo ex  
Prædicamentis dispositis eruuntur, nisi quod primùm sedes Generis in-  
quiri debeat, sub quo se exhibebunt reliqua quæ sita.

III. In Prædicationibus, quia enim prædicamenta Materiam ad  
prædicandum suggerunt, hinc primò oriuntur prædicationes Affirma-  
tæ Universales Synonymæ, si Termini sint sub eodem genere. Si verò  
sub diversis generibus, & tamen abstractè terminis cum concretis per-  
mutatis, de invicem prædicari possint, oriuntur Paronymæ, ex quibus  
consequenter reliquæ Particulares & Negatæ dijudicari poterunt.

IV. In Syllogismis, quatenus Medium Terminum aliquem ex-  
hibent, ejusq; nexum & affinitatem cum Terminis quæstionis osten-  
dunt, vel Essentialem & necessarium, unde veræ illationes, vel acciden-  
talem & Sophisticum, unde Fallaciæ quædam oriri dicuntur.


V. In Methodo Usus habent, quatenus Themata quædam sub-  
stantialia secundum ordinem prædicamentalem deduci possunt, nam  
præmissi nominalibus, secundum Substantiam ipsam expendi possunt, &  
Partes tû Physicæ, tû Metaphysicæ, & Causarum externarum, tum internarum:  
secundum Quantitatem, rerum Magnitudo & Numerus, horumq; con-  
sequentiæ, ut Divisibilitas, Paritas, Figura: secundum Qualitatem, Pro-  
prietates & Potentiæ naturales, & Objecta sensuum, ac Affectus, si ani-  
malis, & Habitus, si homo fuerit deducendus: secundum Relationem, Officiû  
& Usus, Requisita, & Instrumenta: secundum Actionem, Operationes: &  
Effecta: secundum Passionem Pugnantiæ: secundum reliqua, Circum-  
stantia Temporum, Loci, Situs partium, & Adjutorum externorum  
estimari possunt, quæ omnia Usus hujus Doctrinæ uberrimum esse  
Par-

- Paradoxa exercitij causâ apposita.
1. Relationes non sunt Entia.
  2. Rosa, si rigorosè loquamur, non est Ens.
  3. Genus cum Specie ejusdem esse predicamenti, non est perpetuum.
  4. Differentia diuisiva quæ vocantur, non semper sunt de Essentiâ rei.

Q. An in Philosophiâ hodiernâ sit certa veritas?

Resp. Quid domi sentire debeam, novi: hac vice placet certis de causis Negativam tueri; saltem ut rideam & ridear: Ride homo, qui tibi sapias, opinionum falsitatem; Ego ridebo opinantium vanitatem.

SOLI DEO GLORIA.



*Præstantissimo & Literatissimo*

DN. RESPONDENTI

Amico suo honorando.

**F**elix qui potuit rerum disponere classes!  
nam causas harum novit & Esse simul.

Non ortusq; ususq; latent, descriptio prostat,  
dispositas Tabulas si FRIDERICE, dabis.

Ergo age, Quæ, Quot sint classes, quærendo labora,

Cognitio Laurum proferet illa Tibi.

*Cum voto appl.*

PRÆSES.

*Multa*

**M**ulta hominum parent cura; cognoscitur orbis  
Per partes; quaesitus adest ratione supremus  
Arbiter; humanos adstringit regula mores.  
Qui rite in classes digesserit omnia, necdum  
Inventus labor est, fors quid Substantia, Quan-  
tum,

Quale ferat, noris: quam facta Relatio, quantū  
Actio sit pelagus, quis vidit? nomina rebus  
Mundi aurora dedit, quid subistit vocibus, ipse  
Serus adhuc vesper negat. Et fortasse negabit,  
Donec suprema succumbent omnia nocti.  
Tutamen, e tenebris qua primas luminis oras  
Affectare datur, claro cum Praeide monstras  
OLDERMANNEVIAM: facilem labor hic tibi laudens  
Difficilis, majora tuus promittit Apollo.


quod Amico sincerè  
dilecto vovet

**Matthias Sobecans,**  
Hollatus.










§. 34. Hæc enucleata Materiam prædicamentis suis assertam sufficienter puto, de veritate jam Numerus Prædicamentorum fieri poterit. Fundamentum numeri Catholici summa genera, & dispositionum seu classium sunt prædicamenta. An verò illa realiter seu verò sufficiat formaliter esse distincta, co- dicimus in iis, que sunt vera Entia vel En- non posse, quia ut Ens & Ens realiter ab in- ita hæc quoque ab invicem realiter distin- consequenter prædicamentum Passionis scoti esse evincitur. In Denominationibus for- Ut enim Relationem à suo fundamento for- his non nisi formale discrimen admit-

§. 35. Ex Superioribus autem jam lique- Entis Species, quæ summa genera constitu- prædicamenta constituenta erun- de hæc evocantur, vera summa genera- didimus, unde per ea numerus Prædicamen- At Denominationes generales non minùs- nem Generum & Specierum, quàm Entis- batur est, unde etiam Genus aliquod summu-

§. 36. Sunt qui ex Denominationibus Sp- ficiis temporis, loci &c: adhuc alia eliciun- dicendum quod res est, iis non admodum- spectu ad Circumstantias & Modos prædican- enda, tum multo plura fortè adsumenda- nisi Concreta accidentalia & Syncategorematis- tur, quæ alias à prædicamentis planè remo- quod nec requisitum Prædicamenti Essentiale- nerum & Specierum facile admittant, unde- quis ea annumerare prædicamentis. Quo- venerandam Antiquitatem depugnabit & ma- morosè non oblectabimur, sed morem in- mentorum evolutione Speciali geremus. centes, candidum Naturæ astimatorum ex



funda- rum di- umina- tot sunt- pita, tot- fferant, Nos- um esse- antur: unde- um non- potest. sufficit;

diverse- o ex his- quæ re- ostent- gebitur. positio- re pro- poterit. circum- s, sed si- flex re- onstitu- ea non- ponun- Accedit- em Ge- rit reli- quis ob- u, huic- prædica- ic præ- cogni-